



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione
Dilvcidatvs**

Tollenaer, Jean de

Antverpiæ, 1635

Metrica Paraphrasis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

S P E C V L I
V A N I T A T I S
E C C L E S I A S T A E
C A P V T Q V I N T V M.


S E C T I O P R I M A.

E C C L E S I A S T E S.

V E R S. I. Ne temerè, quid loquaris, neque cor-
tuum sit velox ad proferendum sermonem co-
ram Deo. Deus enim in cælo, & tu super ter-
ram: idcirco sint pauci sermones tui.

2. Multas curas sequuntur somnia, & in multis
sermonibus inuenietur stultitia.

M E T R I C A P A R A P H R A S I S.

 Vò precipiti lingua effrenis
Impete tendis? Certè satius
Tacuisse fuit, quàm veloci
Mentis aborsu temerare Deum:
Et verborum fumo æternum
Fuscare iubar. Nimiùm vasto
Cæli distant templa recessis.
Quid lumbricus vix emergens
E face luti, spirisque ima
Sola perreptans, tumido affectat

Sidera

Sidera collo? sanctaque penetrat
 Audax Vermis Diuorum adyta?
 Citiùs Tiphys bolide exploret
 Tethyos undas; nocturna priùs
 Strix immoto lumine figat
 Solare iubar; citiùs labri
 Margine abeni Nerea claudas:
 Quàm mortali iubar aeternum
 Oculo penetres; lumenque Dei,
 Numenque Dei, nullo cæli
 Limite clausum, tantula mentis
 Pupula capiat. Cùm puluereâ
 Nube sepultam tenebrosa operit
 Caligo diem, frustrâ æthereos
 Querimus ignes. Dum submoto
 Margine terre moriente die
 Spectamus agros, quâ Finitor
 Diuidit orbem; quò magè tenues
 Sequimur patulis umbras oculis,
 Hoc magè refugas perdimus arces,
 Nam stellantes nox picta sinus
 Furuo obnubit dissita peplo.
 Ne magè speres acie mentis
 Penetrare Deum, quem caligo
 Nimie lucis latebris abdit.
 Hunc seu Phæbum dixeris orbis,
 Phæbi titulum respuit auctor:
 Sine exornes schemate Regum,
 Vilia Regum firmata calcat.
 Aptius illi nihil aptaris,
 Quàm posse Deo nihil aptari.
 Cùm vix tibi sit guttula mentis,

Hh 3

Quid

Quid verborum flumina ructas?
 Tot, si nescis, lubrica verbis
 Te lingua probat mentis inanem,
 Nec stultitia est certior index.
 Cùm multiplices, genus infomne,
 Anxia cura pectora rodunt,
 Stolidi excudit somnia Morpheus.
 Sic vbi linguæ verba redundant,
 Illic menti curta supellex.

PROSA EXEGESIS.

De Deo lo-
qui difficile.

DE Deo neque omnino filere concessum est, nec loqui promptum. Nam & infinitam illam Maiestatem silentio premere, impietatis est; & multa de illâ effutire, temeritatis: nec hominis est, supremi Numinis ignorantiam prætexere; nec prudentis, absolutam eius scientiam profiteri. Conatum tamen aliquem in medium adferre, operæ pretium videtur, quia, teste Augustino, de Deo optimè existimare, pietatis est exordium. Principio igitur hoc statuendum est, quod ait Tacitus, vnum esse regnatorem omnium Deum. Nulla enim inter homines gens est, inquit Tullius, neque tam immansueta, neque tam ferrea, quæ non, etiam si ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat. Quid enim potest esse tam apertum, tamque perspicuum, cùm cælum suspeximus, cælestiaque contemplati sumus, quàm esse aliquod Numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur? Sed quàm hæc certa sunt ac perspicua, tam incertum atque obscurum est quid sit Deus. Vt præclare dictum sit à Tertulliano; Deum vis magnitudinis & notum hominibus obiecit, & ignotum. Quid enim tam notum, quàm esse

Augustinus
lib. 1. de Li-
bero arbit.

Tacitus
s. Hist.
Cic. lib. 1.
de Legib.

Idem de
Aruspicum
responf.
Deum esse
perspicuum
est.

Quid sit
Deus, ob-
scurum.
Tertullian.
Apologet.
c. 17.